

M. VALERII
MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBRI XIV.

Interpretatione & Notis

ILLUSTRAVIT

VINCENTIUS COLLESSO J.C.

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS,

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

L O N D I N I :

Excudit BENJ. MOTTE:

Impensis CHA. HARPER, ad Iridem è
regione D. Dunstani in vico *Fleetstreet* dicto. MDCCI.

De RHINOCEROTE IX.

pugnante cum tauro.

PRæstitit exhibitus rota tibi, Cæsar, arena,
 Quæ non promisit prælia, rhinoceros.
 Quam terribiles exarsit pronus in iras!
 Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

Rhinoceros datus in spectaculum
 per totam arenam tibi præbuit, O
 Cæsar, pugnam quam non est pol-
 licitus. O quam horribili ira ac-
 census est incurvus! Quantum
 cornu habebat, qui extollebat tan-
 rum, veluti pilam.

NOTÆ.

De Rhinocero. | Marcilius sic. Fuisse ple-
 nius lemma de pugna tauri ac rhinocerotis.

2. Quæ non promisit. | Quia non potuit ali-
 quandiu ab amphitheatralibus magistris irritari.
 De rhinocero agit Plinius, lib. 8. cap. 20. Lon-
 gitudo ei par, cum Elephanto scil. crura multo
 breviora, color buccæus. In ejus summa nare cor-

nu est. Pronus, hoc est cornu incurvato. Pro-
 misit. Alii promisti.

4. Cui pila. | Pilæ dicebantur vestes in glo-
 bum & speciem pilæ collectæ, quæ objicieban-
 tur. Vide Epigr. 19. infra Epigr. 43. lib. 2.
 Epigr. 53. lib. 14.

De LEONE qui GUBERNATOREM offendit. X.

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
 Aufus tam notas contemerare manus:
 Sed dignas tanto persolvit crimine pœnas,
 Et qui non tulerat verbera, tela rulit.
 Quos decet esse hominum tali sub principe
 mores,
 Qui lubet ingenium mirius esse feris?

Leo infidelis vulneraverat re-
 ctorem suum dente immemori, au-
 sus violare manus adeo sibi cogni-
 tas: sed supplicium pertulit debi-
 tum tanto sceleri, & passus est ja-
 cula, qui non erat passus virgas.
 Quam indolem habere debent ho-
 mines sub tali Imperatore, qui
 vult feris inesse leniorem naturam?

NOTÆ.

1. Læserat ingrato. | Oblitus nempe benefi-
 ciorum quæ à suo rectore acceperat, sed fortè
 irritatus & crudeliter verberatus fuerat, alio-
 quin animal est gratissimum, ut narrat Gellius,
 cap. 14. lib. 5. De Androclo & leone. Vide

Epigramm. 75. libr. 2.

6. Qui jubet ingenium. | Hoc est, qui vult
 feris habere mores humanos: sic à clementia
 commendat Domitianum.

De URSO viscato. XI.

PRæceps sanguinea dum se rotat usus arena,
 Implicitam visco perdidit ille fugam.
 Splendida jam tecto cessent venabula ferro,
 Nec volet excussa lancea torta manu.
 Deprendat vacuo venator in aere prædam,
 Si captare feras aucupis arte placet.

Dum Ursus ruens se voluit in
 orbem per arenam cruentam, ir-
 retitus visco stetit fugam. Nisi-
 da venabula jam quiescant recon-
 dito ferro, nec hasta volet vibrata
 manus agitata. Venator depren-
 dat prædam in vacuo aere, si lubet ca-
 pere feras arte aucupii.

NOTÆ.

2. Perdidit ille fugam. | Pro fuga intellige
 vim fugiendi, & epithetum implicitam, per
 metalepsim fugæ tribuitur, quod urso fugienti
 conveniebat. Alii, implicitas.

6. Si captare feras. | Captare verbum est
 proprium aucupii, deprehendere autem vena-
 tionis, quasi dicat jam venator aucupio feras ve-
 luti aves capiet.

Halteres. XLIX.

*Quid robusta brachia defati-
gantur vano haltere? Viri me-
lius exercentur vite effusa.*

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Halteres. | Disti sunt ab ἄλλομα silio. Erant
autem massæ lapideæ, vel metallicæ, ansa vel
manubrio addito, quo commode levari possent
ab athletic. De halteribus agit Galenus, lib. I.

de sanitate tuenda. Juven. Satyr. 6.

Et lassata manus ceciderunt brachia missa,
quod de halteribus accipiendum.

Galericulum. L.

*Ne turpe ceroma contaminet
comas nitidas, poteris hac pelle te-
gere crines unctos.*

NE lutet immundam nitidos ceroma capillos
Hac poteris madidas condere pelle comas

1. *Ceroma.* | De quo vide epig. 4. l. 4. Gale-
riculum inserviebat & ad tegendam calvitiam.
ut supra epig. 45. lib. 12. & defendendos capil-

los à ceromate quo inungebantur palæstræ.

2. *Hac pelle.* | Ex qua scilicet factus erat par-
vus galerus.

Strigiles. LI.

*He allata sunt Pergamo, rade
corpus ferro curvo, fullo non tam
crebro eluet tua lintea.*

Pergamus has misit, curvo distringere ferro:
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

1. *Pergamus.* | Urbs Asiæ minoris, in qua
fabricantur strigiles, instrumenta scilicet quibus
antequam balnea ingrederentur antiqui, cutem
radabant. Persius Satyr. 5.

*I puer, & strigiles Crispini ad balnea
deser.*

Distringere. | Imperativus est vocis passivæ.

2. *Non tam.* | Hoc est, si corpus strigilibus
bene distinxeris, in balneo minus inquinabitur
lintea quibus te absterges, atque ita non tam
sæpe fullonis opera indigebis, qui purget velle
contaminatas.

Guttus corneus. LII.

*Paulo ante taurus me pertavit
fronte: exstimabis me verum
rhinoceros.*

Gestavit modo fronte me juvencus.
Verum rhinoceros me putabis.

Guttus. | Vas scilicet ex cornu tauri factum,
in quo oleum præsertim servabatur. Vide Gel-
lium, lib. 17. cap. 8. Eo etiam antiqui uteban-
tur in sacrificiis, Plinius, lib. 16. cap. 38. *Mar-*
tius Curtius juravit se ex prada nihil attigisse pra-

ter guttum faginum quo sacrificaret.

2. *Verum.* | Alii adverbialiter sumunt. Hoc
est, tantus est guttus, ut ex rhinoceros cornu
factus videatur. De rhinoceros agit Plinius
lib. 8. cap. 20.

Rhinoceros. LIII.

*Tu habebis hunc super visum
in arena Romana domini, qui in
altrum jaciebat taurum ut pilam.*

Nuper in Aufonia domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Rhinoceros. | Hoc est, guttus ex cornu rhino-
cerotis: quo sensu rhinoceros sumitur apud Ju-
ven. Satyr. 7.

Tongilli magno cum rhinoceros lavari.

1. *Domini.* | Imperatoris Domitiani.

2. *Cui pila.* | Idem dixit de rhinoceros
epig. 9. & 19. lib. Spect.

——— *exitus hic est*

Crepitaculum